



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18



1. Nagel: De vitii primarum viarum morbisque ex eis orium di 1761
2. Nenter: De vesicatorum usu 1704.
3. Nenter: De lumbagine rheumatica 1704.
4. Neubaur: De lue venerea etc. 1706
5. Neubaur: De bile 1750
6. Neuhaus: Colicae hystericae casus 1769.
7. Neuharius: De sterilitate ubi usque pectus 1726.
8. Nicolai: Theoria pancrei 1785. Sena!
9. Nicolai: De directione parorum 1725.
10. Niemand: De puffione 1756
11. Nieremberger: De dysenteria 1729
12. Nottinger: De arteriotomia 1757
13. Nonnenmann: De hernia congenita 1771
14. Nonnemann: Apoplexia ex nimis animi contentionibus etc 1771
15. Nordmann: De ischuria gravidarum. 1758.
16. Notter: De actione mercurii in corpus hum. 1789.
17. Notter: De purgatione sanguinis per penes 1614
18. Nusche: De usu et abusu balnearum domest. 1740.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS.

De

SVFFVSIONE,

QVAM

SUB AUSPICIO DIVINO,

Gratioso permisso & Authoritate

Amplissimi, Excellentissimi

atq; Experientissimi

SENATVS MEDICI

IN ALMA ET FLORENTISSIMA STUDIORUM
UNIVERSITATE ARGENTORATENSI

Pro

Summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis

DOCTORALIBUS


rite consequendis

Solenni Philiatorum Examine submittit

HIERONYMVS NIEMAND

Mœno-Francofurtensis.

Ad D. 18. Septembris, h. l. consuetis.



ARGENTORATI,

Typis JOH. FRIDERICI SPOOR.

ANNO M DC LXXVI.

INCLYTO SENATUS ORDINI
LIBERAE REIPUBLICAE
MOENO-FRANCOFURTENSIS

VIRIS
GENEROSIS, PRAE-
STRENTIS, MAGNIFICIS, PRAE-
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSVL-
TISSIMIS, SPECTABILIBVS, PRV-
DENTISSIMIS

DNO. PRAETORI
DNN. CONSVLIBVS
SCABINIS
SYNDICIS
SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBUS, EVERGETIS
PATRONIS & PROMOTORIBUS
SUIS AETATEM VENERANDIS

In devoti, gratique animi signum
THESES SUAS INAUGURALES

facras esse cupit

TANTARUM NOBILISSIMARUM
AMPLITUDINUM

*Devotissimus humilimusq; cultor
& cliens*

HIERONYMUS NIEMAND.



Q. D. B. V.



Ravissimus artis nostræ dictator *Galenus* admirandam oculorum dignitatem animo paulum attentior intuens, rationibus subdatis, summam tandem & compendium elogiorum, quæ de oculis existant facturus, omnium sunt, inquit, oculi in homine id, quod Sol in mundo est. Audiant enim oculi apud alios fulgentia Microcosmi sidera, Artium atque Philosophiæ Magistri, Imago animi secundæ adversæque valetudinis interpretes; nullum tamen Encomium indolem oculorum accuratius tangit, hoc, quô à *Galeno* cum sole comparantur. Ut enim alias, quibus cum sole conveniunt oculorum proprietates hac vice taceam, nec in hoc à Maximo illo Macrocosmi lumine minora hæc microcosmi sidera differunt, quòd interventu subjecti cujusdam opacioris utraque Ecclipsin patientur & obscurationem; Hoc tamen observato discrimine; quod solis obscuratio ex naturæ lege fiat atque ordine, oculorum verò præter naturam accidat, illa sua sponte evanescat, hæc peritum expetat mendendi Magistrum. Cujus nominis Gloriam, tametsi nullatenus mihi hucusque arrogo, nihilominus tamen, cum Jussu Excell. Dominorum Facultatis Medicæ Professorum in alma Argentinensium Universitate In-



augurali quadam dissertatione in lucem mihi prode-
undum sit , operam me facturum haud inanem ratus
sum, si, quæ de hac oculorum Eclipsi, quam medicæ ar-
tis Proceres suffusionem nominant cùm theoreticè
tùm practicè dici queunt, in compendium colligens,
thesium inauguralium loco exhiberem. Quod dum
aggredior negotium, Annue DEUS alme cœptis! Tu-
que B. L. infirmis nostris succurre conatibus, si que ipsa-
met nostra aut ubi Eclipsin passa fuerit dissertatio, eam
vel benevole ferre, vel penetrantioribus Ingenii tui ra-
diis amice discutere non dedignare.

THESIS I.

Quandoquidem nullâ in re materiâque dignè per-
tractandâ, quicquam æquè præclarum est, prod-
est atque oblectat, quam si justâ serie, decentique
methodo cuncta proferantur ; cum duplex autem re-
rum sit definitio, una nominis altera rei, à nominis ex-
plicatione nostra meritò initium sumit disputatio, ne
conturbato nominum usu, rerum quoque ipsarum usus
conturbetur.

*Gal. l. 3. de
med. simpl
fac.*

Th. II.

Triples autem nominis est definitio. Etymolo-
gica, Homonymica & Synonymica. Etymologicam
SUFFUSIONIS definitionem quod concernit, no-
men illud est verbale, à suffundendo natum, significa-
tione, quâ hunc oculorum affectum exprimit, à Græco-
rum Scholis mutuata. ὑπόχυμα enim vel ὑπόχυσις id quod
suffusum est, ab ὑποχέω descendit, id quod Latinis suffun-
do, item clanculum admisceo significat : atque à præ-
positione ὑπό sub, & verbo χέω fundo est confectum. De-
nominandi ratione à consuetâ forsitan affectus hujus
gene-

generatione desumptâ. Raro enim ipsius Causa dere-
pente in oculum incidit, sæpius autem suffunditur, h. e.
sensim clanculumque admiscetur.

Th. III.

Homonymiam quod attinet, suffusio i. in gene-
ralissimâ suâ significatione opponitur ipsi potentia vi-
sivæ, atque exinde videndi facultatem ex quacunque
causâ labefactatam denotat.

2. In genericâ foroque medico usitatâ significatio-
ne, illum designat oculi affectum, ubi materia quædam
membranæ nebulæve instar Crystallino prætensa efficit,
ut objectum visivum vel plane penetrare nequeat, vel
obscurè admodum, aut verò perperam crystallinæ len-
ti committatur, atque hac ratione cùm Imaginatio-
nem, tùm suffusionem κατ' ἐξοχὴν & cataractam com-
prehendit.

*Cass.
Hofm.d.
loc. affect.
l. i. c. 5. §. 3.*

3. Illum in specie seu κατ' ἐξοχὴν denotat suffusionis
gradum, qui medius est inter Imaginationem & Cata-
ractam h. e. cùm levī factâ visûs obtenebratione mate-
ria quædam guttæ instar & nubeculæ intra pupillam
observatur. Equidem in genere suffusionem nunc
descripturus secundam & genericam vocabuli hujus
significationem amplector, perinde ducens, quo quis-
que nomine, ad vitium hoc oculorum denotandum u-
tatur, modo Consilio Galeni. ierum bene servet ob
servetque naturam.

*River.lib.
2. prax.
med. c. 4.
l. i. M. M.
c. 5.*

Th. IV.

Excipiat itaque homonymicam definitionem ex-
plicatio Synonymica, doceatque diversa nomina, qui-
bus à diversis artis nostræ Proceribus unus idemque hic
affectus indigitatur. Græcis dicitur ὑπόχυμα seu ὑπόχυσις
de quo supra, item καταράκτις seu Cataracta à verb. κατάρ-
ρα



l. s. m. m. πάσσα vel *καταρρακτώ* de fluo, casito more salientium aquarum. ut *Galenus* hoc verbo utitur. Idque ideò vel quia materia peccans, aquarum ad instar catarractæ è loco superiore, cerebro puta, ad pupillam defluit: vel quia quemadmodum, demissis cancellatis portarum catarractis, exteris aditus in urbem denegatur, ita ad secretiores animi recessus intraturis objectis, animæ fores oculi hoc morbo occludantur. *Aëtio* præter fusio dicitur & affusio, aliis imaginatio & Phantasia, Cataclysmus oculorum aquæ descensus & Gutta. Germanis das Fell/der Wasserstern / it. der Staar.

Th. V.

Et hæc de nominis definitione sufficiant, sequitur jam definitio ipsius rei, quam, cum definitiones medicæ sub leges logicas accurate cogi nequeant, ad imitationem diversorum artis nostræ antistitum sequenti ratione lubet adornasse. *SUFFUSIO* est obstructio pupillæ seu foraminis *Uveæ* à concreto humore præter naturam, vel vapore incrassato inter corneam tunicam humoremq; crystallinum oborta, ob quam visus labefactatur.

Th. VI.

Generis loco obstructionem *Galenus*, *Sennertum*, *Capivaccium*, aliosque secutus, pono: quandoquidem vel ad oculum pateat concretionem humoris, à quam plurimis generis loco poni solitam, naturam affectus hujus non exprimere, sed causæ potius explicare generationem, hoc est, quâ ratione materia subacta & disposita esse debeat, ut apta efficiatur ad obstructionem pupillæ moliendam.

Th. VII.

Gravis hîc inter Authores moveri solet controversia, utrum suffusio morbus in numero, an verò in viâ

lib. 6. de plac. Hipp
c. 7. in prax sua
l. i. c. 38.



viâ seu in meatibus sit statuendus? Equidem hac de re quid sentiam ex definitione patet. Suffusionem enim per obstructionem, morborum occlusarum angustatarumve viarum speciem definiens, per se planum est, quod affectum hunc pro morbo Viarum, seu meatuum sumam? Quod si enim, ut apud omnes in confesso est, morbus in meatibus est, quando cavitates vel meatus in partibus necessariâ, plus æquo vel latiores vel angustiofiunt, viæque angustantur, vel per modum obstructionis, constipationis, coalescentiæ, compressionis & subsidentiæ; per se suâque naturâ sequitur, Uveæ foramine, quod nihil aliud est, quam via & meatus, quo repercussi ab objecto visivo lucis radii ad humorem crystallinum tunicamque retiformem pergunt, interventu corporis cujusdam opacioris, obstructo, morbum produci, qui ad morbos in via commodissimè referri queat.

Th. VIII.

Absit autem, ut contra *Galenum*, *Plempium* & *alios* suffusionem, certo respectu & considerandi modo, morbum in numero dici posse negem, Quotiescunque enim malum hoc in eminentiori conspicitur gradu concretus humor p. n. novam oculi tunicam mentiens, partibus oculi simile quid repræsentat, id quod ad morbum in numero constituendum omnino satis est.

Th. IX.

Quid quod nec illi dicam sim scripturus, qui hunc suffusionis affectum, vel abolitæ vel labefactatæ actionis symptoma, quam morbum maluerit appellare, ut enim circumstantiæ rem ipsam, ita diversa tractandi & considerandi ratio, denominationum technologicarum immutationem introducit.

Th. X.

Reliquam definitionis partem quod concernit, verbis illis *obstructio pupillæ seu Uveæ foraminis, inter corneam tunicam humoremq; crystallinum*, subjectum affectus hujus, inadæquatum licet, proximum tamen & immediatum innuo; Adæquatum ab oculo ipso desumens pulcherrimo superbissimoque corporis nostri artificio.

Th. XI.

Avicenna cap. peculiar. inter albugineum & corneam locum suffusionis statuit. *Celsus l. 7. c. 7.* post duas tunicas, corneam sc. & Uveam, eâ in parte, ubi spatium quoddam intercedit inter aqueum humorem & Uveam tunicam, sedem ejus collocat. *River. prax. med. l. 2. c. 4. de suffus.* humorem aqueum in qualitate peccantem, cum humore extraneo superveniente coagulatum, subjectum ponit. Nec desunt qui in vitreo humore vitium hoc reponant, sed male; vitrei enim humoris vitia, aliis sese produnt indiciis, aliumque prorsus requirunt curandi modum.

Th. XII.

Præter Genus & subjectum, causa efficiens in definitione est addita, his complexa verbis. *A concreto humore p. n. vel vapore incrassato oborta.* Sunt autem morborum causæ vel internæ vel externæ: *Ille* rursus vel antecedentes & Remotæ, vel continentes & Proximæ: & *iste* vel necessario nos alterantes vel non necessario. Quocirca, cum fieri nequeat, ut curatio methodicè peragatur, nisi morborum effectrices causæ accuratè cognoscantur; Illæ quanta fieri potest brevitatè eruentur.

Th. XIII.

Th. XIII.

Interna, proxima & continens suffusionis causa, quâ positâ actu secundo immediatè ponitur effectus, & qua ablata removetur, est, ut supra significatum fuit, vel Humor p. n. concretus, vel vapor condensatus.

Th. XIV.

Qui in abstracto potius quàm concreto loqui & in crassationem vel concretionem pro humore concreto vel in crassato vapore causam continentem appellare præoptant. Modum rei pro re ipsa accipiente, acumen captando in errorem incidunt.

Th. XV.

Causa antecedens & remota est humor ille p. n. qui adhuc suis in fontibus continetur, postmodum ad oculos effluit vel per carotidum tenuissimas propagines, vel per alios vasorum ductus à pericranio ad conjunctivam tunicam, inde ad corneam & uveam; vel à cerebri meningibus ad oculorum membranas, tunicam uveam & nervum opticum, sanguinem humoresque alios perferentes. Quæ sententia etiam si à nonnullis dubiæ censeatur esse veritatis, equidem nihil in illa absurditatis invenire possum.

Th. XVI.

Camerarius Syll. memorab. medic. cent. XI. sect. 46.
quicquid de novâ suffusionis causâ, aqueo, tenacitatem aliquam adipiscente humore, quem longâ observatione frequentique suffusionum infinitarum inspectione, causam affectus hujus se invenisse differit, id omne, siquidem illi quædam probandi efficacia in sit, nihil aliud probat, quam humorem aqueum posse quandoque
non

non secus affectus, hujus existere subjectum, ac reliqua inter corneam & crystallinum contenta, id quod ambabus illi, quod ajunt, manibus lubentissimè elargimur.

Th. XVII.

Cæterum examinanti, quo robore polleant, suffusionem ab exsiccato humore aqueo proficisci demonstrantia argumenta, facile apparet, debili quicquid concludunt constare fundamento. Quâ enim facilitate suffusio ab exsiccato humore aqueo asseritur exoriri. Primum propterea quia siccioris temperaturæ senes malo huic subjacent. Deinde, quia ardor febrium acutarum, oculorum inflammatio, foco ignique assidendi consuetudo, calidorumque collyriorum applicatio, causæ calidæ & siccantes esse & existentiam illi nonnunquam largiuntur; eâdem etiam facilitate ex iisdem argumentis ab humorum influxu suffusionem provenire stabilitur.

Th. XVIII.

Interroganti enim, quare senes toties suffusionibus vexentur? hæc in promptu erit ratio: Quia humiditatibus excrementitiis materiam malo huic subministrantibus abundè scatent. Objicis: senes sunt siccissimi, quâ ergo humoribus scatere queunt. Sed respondetur: Senes licet multis humiditatibus excrementitiis vexentur, idcirco tamen humidi dicendi non sunt: Nam humidi radicalis, ob perennem caloris nativi actionem, à quo tantùm ætas humida nuncupatur, parum habent, & inde fit, ut siccissimi dicantur.

Th. XIX.

Porro cum febres ardentes crisi, eaque cum perfecta tum imperfecta soleant terminari, oculorum etiam inflam-

inflammationes à copioso humorum influxu surgant, quis quæso suffusionem febrem vel inflammationem oculorum subsequutam, potius ab exsiccatione humoris aquei, quam humorum p. n. suffusione ortam judicabit?

Th. XX.

De ignis, calidorumque collyriorum usu, quid sentiendum numne alio quam exsiccandi modo hunc producere valeant affectum, Hipp. summum artis nostræ Dictatorem, aph. 16. S. V. audiamus, dicentem: Calidum frequentiore usu hæc invehit incommoda. Carnis effœmationem, nervorum incontinentiam animi torporem, *profusiones sanguinis &c.* Quod si autem sanguis à calore ita exagitari potest ut vel ruptis vel alio modo apertis vasorum osculis profluat, quidni de reliquis humoribus idem sentiamus.

Th. XXI.

Sed perquam quæso viam humor p. n. in oculum defluet, celeberrimus noster hac in re pergit interrogare Antagonistam; Non inquit per Nervum; I. quia absurdum est, partem tam nobilem excrementis deferendis aptam statuminare, 2. quia nervi optici productio in retinam tunicam terminata, nihil omnino ad pupillam deferre valet. Non per vasa alia, quia nullum spacium inane in oculo invenitur quod extraneum humorem posset admittere & si admitteret totus oculi globus intumescere deberet atque distendi.

Th. XXII.

Ad quod reponendum; Viæ quibus partibus aliquid communicatur vel apertæ sunt cavitates ut Venarum & arteriarum exemplo constat, vel sensibus incompti canales, uti nervorum testimonio creditur,

B

coeca-

cœcaque cutis docent spiracula. Hujus, non illius generis clandestinos illos meatus esse statuo, quibus cum humore nutritio, portio quædam heterogœna seu humor p. n. ad pupillam amandatur.

Th. XXIII.

Nervorum opticorum nobile rectè dicitur officium, distinguenti tamen inter statum s. & p. n. mediante quo spiritus animales vel puriores sunt vel impuriorees, non ineptum videbitur dicere: Nervos non quidem ratione officii, ratione structuræ tamen aptos esse humoribus vaporibusve p. n. ad oculum deferendis, qui tametsi non immediate, attamen mediate h. e. per tuni-carum oculi fibrillas ad Uvæ foramen deferuntur.

Th. XXIV.

Quid autem sibi vult fictitia illa oculi plenitudo, guttulam humoris heterogœni admittere nescia? Excrementum est aqueus oculorum humor, qui deperdi potest & renasci, atque ita pro incremento suo ac decremento alio humori vel vaporibus in oculum ingressuro viam vel concedere vel denegare. Spiritu autem reliquum inter corneam & crystalloidem spatium repletur, qui sensim ac sensim eò quoque se recepturis humoribus pro spatii ratione, loco cedere non refragatur, id quod sufficienti experimentorum mechanicorum numero demonstrari posset; nã ad illa unde non ingrata hæc nos deduxit controversia, quanto fieri potest compendio revertendum foret.

Th. XXV.

Verbo igitur atque ex Authoris ipsiusmet hypothesi ad ultimum argumentorum respondisse sufficiat, humores p. n. ad pupillam oculi ducentes meatus angustiores esse, oculique cavitates magis repletas quam ut
tantum

tantum humoris vehere vel admittere possint ex quo totus oculi globus esset distendendus, id quod erat demonstrandum.

Th. XXVI.

Ad illas nunc calamum promovemus causas, quæ externæ audiunt Procatarticae & occasionales duplici ratione ad suffusionis productionem concurrentes. 1. Quidam humoribus & vaporibus in corpore ejusque partibus materiam suppeditando uberiores. 2. eosdem ad caput & oculos devehendo communibusque receptaculis deturbando. *Illud* ex rerum Non nat. censu præstant. Aëris constitutio humidior & austrina: Cibi crassiviscidi flatulenti, lenti atque fumosi. Cerevisia recens nondum defœcata aliusque generis potus crassior magisque flatulentus. Otium obscurum vitæque sedentaria. Somnus nimius præprimis Meridianus. Animi pathemata tristiora. Excretiones consuetæ interceptæ, ex rerum p.n. ordine vitium cerebri ventriculi & intestinorum.

Th. XXVII.

Hoc verò efficiunt motus corporis vehementior, lucubrationes in multam noctem continuatæ, quæ oculos debilitando viam quasi humoribus vitiosis ad influendum in oculos aperiunt. Intermissiones vacuationum solennium uti sunt Venæ sectionis consuetæ neglectus, mensium suppressio, hæmorrhagiæ narium, hæmorrhoidumque intempestiva cessatio. Quippe quæ humores stagnare faciunt, stagnantesque ad caput & oculos, qua data porta propellunt. Quibus accedunt capitis dolor, catarrhi, vomitiones vehementiores, ictus, contusiones, lapsus ab alto, importuna topicorum in defluxionibus ad oculum applicatio.

Th. XXVIII.

De hinc suffusionis proposituri differentias, Primum ad efficientem causam deinde ad subjectum, postea ad accidentia, denique ad generationis modum respiciemus.

Th. XXIX.

Ratione causæ efficientis, alia vera est & exquisita, alia *notha & spuria* : hæc vaporum existit soboles; illa à pellicula ex humore prognata ortum ducit. Ratione subjecti alia *interior* sedem post uveam inter aqueum vel crystallinum humorem occupans, alia *exterior* inter corneam uveamque residens Sennerto auctore nuncupatur. alia item totalis, alia particularis dicitur, prout vel integram pupillam, vel partem solummodo obstructio illa occupavit.

*l. i. prax.
p. 836.*

Th. XXX.

Ratione accidentium, ætatis sc. symptomatum, colore & consistentia, incipiens ab augefcente & consummata; fumos culices & piliformia filamenta visui referens, ab ea, quæ vel marino picta colore nebulas fingit, vel pupillam refert omnimode albicantem. Alba, à fuscâ, nigrâ, viridi, flavâ, cœruleâ & glaucâ, hæc, cujus humor crassus est ac lentus ab ea, quæ à tenui vel mediocris consistentiæ humore ortum duxit, discriminata distinguuntur.

Th. XXXI.

Ratione modi generationis suffusio vel ab alio morbo dependet v. g. ventriculi ut est apud *Forestum l. XI. observ. p. 41.* vel à communicatione materiæ morbificæ excernendæ uti in visione obscurata ex passione iliaca de

ca de qua *Smetius miscell. p. 546.* vel à denegatione materiae laudabilis communicandæ, uti est catarracta ex obstructione nervi optici, de qua *Mercur. com. 4. conf. 14.* & sympathica appellatur. E contrario verò idiopathica, quæ à morbo alio non dependet, cujus cum exempla ubi vis obvia sint missis differentiis, ad signa transgressum meditamur.

Th. XXXII.

Duplicia verò à Medicis numerantur signorum genera, diagnostica sc. & prognostica. Diagnostica suffusionis signa vel idiopathicæ ejusque sive incipientis, sive incrementum sumentis, sive consummatæ, præsentiam designant, vel sympathicæ productionem revelant.

Th. XXXIII.

Sunt autem idiopathicæ suffusionis *fientis* signa 1. oculorum ad videndum hebetudo. 2. pupillæ perturbatio. 3. fumi, culicum, pulicum, fictarum aliarum imaginum ante oculos obversatio. *Incrementum sumentis* sunt. 1. immutatus pupillæ color, nebulam vitrumque contaminatum referens. 2. objectorum veluti per vitrumque contaminatum referens. 2. objectorum veluti per vitrum confusior perceptio. *Consummata* 1. visionis plenaria abolitio. 2. pupillæ in album aliumve colorem perfecte facta immutatio.

Th. XXXIV.

Ex qua colorum varietate, non exigua postmodum exurgit materiae obstruentis cognitio. Ex aëreo enim colore materiam sub pupilla fluidam, ex gypseo, crassam, ex citrino, pituitam cum bile mixtam, ex nigro, humorem melancholicum. Ex colore margaritam referente, pituitam non nihil diaphanam colligere licet atque hariolari.

B 3

Th.

Th. XXXV.

Sympathicæ suffusionis digna desumuntur 1. à parte affecta: Ventriculo sc. cerebro, aliisque visceribus, quæ vapores ad caput & oculos ablegando, symptomata veræ suffusioni similia causantur. 2. à symptomatum vel pertinaci constantia vel vagabunda commutatione: illa namque idiopathicæ, hæc sympathicæ signum est atque character.

Th. XXXVI.

Signa Prognostica, triplicia sunt, nimirum qualitatem, tempus & modum eventus, in morbis patefacientia. De qualitate eventus in suffusione, an sc. illa curabilis sit, an incurabilis, ex inspectione causæ efficientis *Vigierium* audire lubet ita prognosticantem: Quæ gypsei sunt coloris virides, nigræ, lividæ, citrinæ & coloris argenti vivi æmulæ, ferè sunt in sanabiles; contra, quæ colore corticem castaneæ æmulantur, quæ cœli seu aquæ marinæ colorem habent cum albedine quadam hæ sanabiles sunt & feliciter succedere solent. l. 1. *Chirurg.* c. 32. cui *Celsus* l. 7. *de re medic.* ex parte consentit. *Galenus* verò ad ætatem seu gradum suffusionis respiciens, suffusio, inquit, incipiens digeritur, ubi constitit non potest. Sed hæc de idiopathica suffusione unice dicta videntur idcirco de sympathica quoque ex eodem allegato *Vigierio* pauca etiamnum recitare lubet loco citato sequentem in modum vaticinante. Insanabilis suffusio est, quæ ex gravissimo morbo, acerbissimis nempe capitis doloribus vel icætu vehementissimo orta est.

Th. XXXVII.

De tempore eventus, morbum hunc longius aut brevius

brevius duraturum prænunciante, notandum. Senilem ætatem, propter naturale visus vitium, viriumque imbecillitatem ad suffusionis curationem aptam non esse, nec puerorum, in quibus nondum maturuit humor, consistentem verò ætatem curationi esse aptissimam. Sympathicam, citius quam idiopathicam simplicem, quam cum alio affectu junctam extirpari. Quem in modum de aliis quoque suffusionem haud raro concomitantibus accidentibus judicari potest.

Th. XXXVIII.

Modum eventus suffusionis, h. e. num per lysin an per crisin, hic affectus sese sit terminaturus perscrutanti, in promptu responsio est. Suffusionem non acutis, sed chronicis morbis esse annumerandam, quorum proprium est non crisi sed λύσει, desinere atque exspirare.

Th. XXXIX.

Et hæc de signis tam diagnosticis, quam prognosticis dicta sufficiant, super est ut ad *Curationem* transeamus secundum indicationes; nauticæ pyxidis loco peritis medendi Artificibus inservientes, dextre instituentiam.

Th. XL.

Triplicia autem sunt secundum Galenum. Indicatione, ad quæ omnis in universum dirigenda est curatio; Nimirum *Curatorium*, morbum tollendum, *Præservatorium*, causam morbi extirpandam, *Vitale*, vires conservandas respiciens atque dijudicans.

Th. XLI.

Morbo autem parum vel nihil hoc loco indicante, utpote qui sublatâ causâ derepente summovetur, à remotione causæ, primâ hic ducenda erunt curationis primordia, cujus materia, humor sc. p.n, vel vapor quoniam

niam partim extra locum affectum haecenus est constitutus peccans cum in quantitate & qualitate, tum in motu & loco, evacuandus idcirco est, corrigendus, alterandus, revellendus, intercipiendus, derivandus, dissipandus. Partim parti affectæ jam impactus propterea que vel sensibilibus removendus, vel insensibilibus discutiendus: Hoc pharmacis illud chirurgica dexteritate, compunctione sc. impetratur.

Th. XLII.

Deinde ad ductum indicantis vitalis, oculi cerebrum, ventriculus, aliaque discrassiâ suâ, ad affectus huius generationem concurrentia viscera, confortanda sunt & roboranda auxiliis pro scopi & intentionis diversitate è triplici medicorum promptuario, Diæthetico, Pharmaceutico & Chirurgico, tuta jucundaque celeritate depromptis.

Th. XLIII.

Quapropter cum non Galeni solummodo eloquio, sed usu quoque & experientia constet atque comprobatum sit, nullum tam validum in medicina esse remedium quod ex se ortum auxilium inducere possit, si in contrarium agatur, quæ circa diætam sunt, aut ab his non adjuvetur, Diæta in VI. rerum non naturalium conveniente regimine consistens, primò omnium ordinanda atque constituenda videtur.

Th. XLIV.

Ab aëre itaque sine quo neque in secunda neque in adversa valetudine degere vel momento possumus, diætetici nostri consilii exordium capientes, aërem eligendum ducimus temperatum, ad calorem tamen & siccitatem magis (præprimis si antecessens, non continens causa respiciatur) quam ad frigidum humidumque inclinans.

clinantem. Austrinæ enim & aquiloniæ aëris tempe-
 states oculis maxime nocent teste Hipp. f. 3. aph. 5. & 17.
 Ratione verò causæ continentis Aër purus sit fumi
 ventorumque expers, lucidus quidem, at radiis solari-
 bus vel igne haud nimium illustratus. Uno verbo aër
 morbificæ causæ semper sit contrarius, & sitalis natura
 non est, arte fiat & efficiatur.

Th. XLV.

Cibus sit εὐπεπτός h. e. concoctu facilis bonique
 succi cujus generis sunt opipara, carniū juscula, pana-
 tellæ, pulticulæ ex oryza, ova forbilia : Carnes agninæ,
 hædinæ, vitulinæ, vervecinæ, leporinæ, præsertim si her-
 bis ophthalmicis, euphrasia, foeniculo betonica, salvia,
 nuce moschata &c. condiantur. Ex piscibus laudan-
 tur fluviatiles & saxatiles, vitanda autem, nimium salita
 & fumo indurata, item caro bubula, cervina suilla & co-
 lumbina annosior; allium quoq; cepa, raphanus, pisum,
 piper, sinapi, caseus, lac & lacticia omnia, Tandem
 vaporosa & acria cuncta quæ oculis nocent, ferunt re-
 plentque caput.

Potus sit vinum ελιγοφόρον, non nimis generosum
 ac forte cui fasciculus borraginis, euphrasiæ, beto-
 nicæ, pimpinellæ immisisse juvabit, cerevisia si in usum
 veniat clara sit & probè defœcata, nec multo cocta lu-
 pulo. Aceti quoque usus parcus sit & moderatus.

Th. XLVI.

Quantitatem ciborum determinabit mnemosynon
 illud Hippocrateum lib. ωεί παδών: Ad sanitatem opti-
 ma sunt, quæ modice ingesta sufficiunt: ut & famis &
 sitis sint medela. Ordo assumendorum hic esto, liqui-
 da solidis humida siccis, εὐπεπτοῖς δυσπέπτοις præmittantur,
 Bellariorum loco mensam ornent, quæ stomachum

C

clau-

claudunt , impediuntque quo minus vaporosi altum petentes halitus caput infestent. ejus generis sunt *Confect. sem. fœnic, coriandri, anisi carvi. Tab. postpastum, Diacydoniatum cum & sine speciebus.*

Th. XLVII.

Desidiosum semper sedulo videtur otium : nam quemadmodum moderata quies corpus multis bonis beat, ita nimia illud ipsum infirmum reddit atque humectat. Somnus quoque moderatus sit, meridianus & immoderatus evitetur, excrementa enim cerebri aliarumque partium justo longius detinet, gravat caput multoque id implet halitu.

Th. XLVIII.

Alyus laxa quotidie sit & aperta. Rarius tædæ ardeant thorales , invitâque nunquam litetur Veneri Minervâ. Tandem vehementioribus animi affectibus. Irâ sc. tristitia & timore abstineatur.

Th. XLIX.

Atque hæc de præsidiis ex fonte diætetico desumptis ; sequitur pharmacica , ad quam stricto calamo deproperamus. Scopis enim curationum *ib. 41.* superius jam enarratis, nihil nos morari debet, quo minus missis ambagibus secundum eos ipsa remedia, quanta fieri potest brevitate, recenseamus.

Th. L.

Licet autem à vacuantibus curationem ordiendam supra dictum sit, præparationem tamen propterea si opus fuerit minimè volumus exclusam. Rideant enim cum *Paracelso* quicunque volunt præparantium usum, ego cum *Hippocrate aph. 9. s. 2.* Purgantia non adhibenda esse censeo, priusquam præparantia, quæ humorum

morum crassitiem incidunt & attenuant fuerint præmissa.

Th. LI.

Talia verò sunt tartarea & martialia medicamenta omnia inter quæ primas merentur. *Cremor & Crystalli tartari, & Tart. vitriolatus.* Vim laxativam cum digestiva possidens. *Crocus mart. aperit. cum sale fraxini, cichorij, tamarisci, &c. tinct. mart. aperit. Zvelffer.* Quibus in suffusione cum primis hæc Galenica addi merentur. *Syr. d. stæchade, de Beton. Melrosat. Aq beton. Pæon. fl. tilie. prim. veris. Euphrag. Lavend. &c.* Si bilis crassa, & glutinosa pituitæ juncta sit, junge *Syr. de cichor. Acetof. citr. Limon. Oxymel simpl. & comp. Aq. Cichor. frag. Endiv. graminis &c.* ex quibus pro varietate constitutionis, ætatis & beneplaciti ægrotantium varia formularum genera & doses constitui possunt & componi. Exempli gratia unam juvat apposuisse. *℞ Aq. Euphras. Prim. ver. fl. tilie ana ℥j Syr. beton, de stochad. ℥℞m. pro dosi. i.*

Th. LII.

Facta humorum præparatione, ad purgationem deveniendum quæ præparatam illuviem per secessum educat, vomitiones, enim visus imbecillitate laborantibus maxima minantur mala. Ast purgantium simplicium integrum hic catalogum contexere operæ pretium non est cum satis superque nota sint. Quæ tamen præ reliquis in hoc affectu eligenda judico sunt. *Pil. opt. seu lucis mesue, sine quibus, de s. myrobal. gen. aur. Nicol. Antipod.* Formulæ exemplar, sequens esto. *℞ Mass. pil. Antipodagr. gr. viiij. optic. mes. sine quibus ana gr. xiiij. malax. c. Syr. d. beton. F. pil. n. xj. de aurentur.*

Th. LIII.

Corpore præparato & evacuato Revellentibus &



derivantibus præsiidiis, materia influens erit revocanda. Revellimus autem clysteribus, suppositoriis acribus cucurbitulis cum scarificatione, derivamus vesicatoriis nuchæ applicatis. Cucurbitulis ad chirurgiam remissis, clysteres revellentes componendos ducimus ex *Abrotano, Origano, Ruta, pulegio, aniso Fl. cent. min. fl. lavend. Rud. irid. flor. cyperi.* Colaturæ decocti addantur *benedict. laxativ. Diacathol. Diaphænic. sal gemmæ. Hiera. Ol. rutæ &c. v. g. ℞ Rad. Irid. florent. ℥℥ Herb. Origan, Rutæ puleg. Abrotaniana M. j. Fl. centaur. min. persic. anap. j. F. decoctio in s. q. aq. comm. de col. ℞ ℥x. add. Bened. laxat, Hiera picr. ana ℥j. Diacathol ℥℥. sal gemm. ℥i℥. M. f. clyster.*

Th. LIV.

Suppositoria acria conficiuntur ex melle cocto & inspissato cui admiscantur *pulv. Scammon. Colocynth. Euphorb. Helleb. utriusq. nitri Salis Ammoniaci. e. g. ℞ Mellis coct. ℥℥. trochisc. albandal. Diagrid. ana ℥℥. Sal. armon. ℥ij. M. Fiant suppsitoria.*

Th. LV.

Veficas ad derivandum excitant *Hydropiper, Scylla Tartar. ust. Pulv. canthar. Far. sem. eruc. Sinapi, saponiger. Ung. basilic. Empl. Apostol. Nicol. Alexandr.* Nos ex præscripto Excellenissimi Domini J. A. Seb. M. D. & P. Experientissimi Celeberrimi. Præceptoris nostri ad Cineres usque obsequiose devenerandi vesicatorium forma ut sequitur ordinamus. ℞ *Pulv. canthar. ℥ij. Ungv. basilic ℥ij Sev. Cerv. ℥j Ol. chamomel. q. s. ad justam consistentiam. M. Extendatur supra fortissimam cyanei coloris chartam, magnitudine nummi Joachimici Emplastrum hoc summo mane applicatum horis præter propter 9. vel 10. elapsis, denuò detrahendum, vesica aperienda butyro- que*

que ad impetiginem præcavendam, usque dum fluxus sistatur, illinenda. Postmodum tempore æstivo *Fol. tusilag*, hyemali verò folio *Brassica* supra imposito obligatio facienda, sequentique unguento molienda consolidatio. Resp. *Ung. de tutia d. cerussa. diapomph. ana ʒj Sev. cerv. ʒss Ol. rosac. violat ana q. s. adjustam consistentiam M. F. Unguentum.*

Th. LVI.

Quæ, si parum proficiant vel ad decocta *Guajaci Sassafr. Sassaaparilla, china*, junctis Cephalicis & Ophthalmicis simplicibus est confugiendum, e. g. *ʒ Rad ireos flor. china ana ʒij, Ligni gnajaci sassafr. ana ʒss Herb. Euphras. Melisse, Majoran. Verben ana M. ʒ. fl. betonice, anthos, ana P. j. Sem. anis. fœnic. ana ʒiʒ F. decoct. in s. q. anatica vini & aque. de col. ʒ ʒ. j. adde Syr. d. stæchad. melrosat. ana ʒij. F. apozem. clarum. spec. aromat. rosat. ʒj aromatizandum. Dividatur in doses 4. Vel sequentis generis electuaria, alterantia & ficcantia in usum vocanda. *ʒ Conserv. betonic. Anthos, Euphras. ana ʒij Nuc. mosch. condit. Z. Z. chinens. condit. ana ʒiʒ sp. diambre, diamosch. diacubeb. ana ʒi Cum Syr. de Cinnamon. F. Elect. molle.**

Th. LVII.

Quod si ex consensu inferiorum partium imprimis ventriculi orta sit suffusio, vapores sunt discutiendi Ventriculus purgandus & roborandus. Vapores discutiuntur Carminativis v. g. *Confect. 4. sem. calid. maj. Tab. post. pastum. spec. aromat. rosat. Diaxyloaloes & c. calam. aromat. ZZ. chinens. condit. cert. aurant. Extr. Absynth. card. ben. & c. El. propr. P. Aq. Cinamom. sp. iunipr. & c. Ex quibus sequentes conficere lubet morsellos. ʒ Cort. aurant. condit. ZZ. chinens. condit. calam. aromat. condit.*

ana ʒj. spec. Diambri. diacumin. aromat. rosat. ana ʒi. Extract. Helen. Calam. aromat. Xyloaloës ana ʒß. Tab. post past. c. 2pl. specierum ʒi olei Caryophill. gutt. ij Sacch. alliß. in s. q. aq. cinamom. solut. M. f. confect. in morsellis.

Th. LVIII.

Ventriculum purgant Pil. Francofurtenses, Marcostina, Mastichina, Angelica, &c. Eundem roborant: cum aliis omnia illa, quæ sub carminantium titulo sunt proposita. Exercitii tamen gratia sequentem conficere lubet trageam: ʒ spec. Diarrhod. Abbat. Diaxyloal. Diatrionpiper. ana ʒiß. Tragea suav. ʒij. ol. caryoph. cinamom. ana gutt. ij. Tab. ex ol. fæn, ʒvi. Sacchar. ʒß M. pro Tragemate.

Th. LIX.

Verum quoniam quæcunque hætenus proposita sunt causam respexere antecedentem; ad proximam nunc & continentem quoque accedendum erit. Hæc oculo impacta primum est digerenda deinde discutienda, denique abstergenda. Prioribus duabus indicationibus satisfieri potest decocto Malva, melilot. chamom. Hord. sem. lini. fæn. græc. &c. Ultimæ verò præter alia, illis quæ ex superius jam allatis simplicibus confecta sequuntur. ʒ Aq. Euphorb. Chelid. mai. fæn. ana ʒj. Sacchar. cand. ʒß. M. oculum postea sequenti collyrio reficies. ʒ Aq. plantag. acut. ros. alb. Nymph. ana ʒij. Alb. ov. c. modico sale bene conquassat. n. ij. Camph. gr. vi. Colatura detur ad vitrum. Applicatio fiat cum fungis sambucinis.

Th. LX.

Experimenta & remedia specifica, quæ a diversis authoribus magno numero exhibentur, hic conscribere non vacat unius tamen & alterius faciemus mentionem

nem e. g. Liqueur ex hepate mustelæ fluviatilis. Vulgo
 ein Nalruppe/ solis beneficio extractus à *Camer Syll. me-*
morab. cent. 9. f. 7. secretum non revelandum appella-
 tur Gentianam incisam & cum aceto destillato coctam
 oculo instillatam suffusionem tollere *Lipsius in tr. de*
variolis & morbillis testatur. Schenk. obs. d. cap. 273. Un-
 guentum ex fœce olei & omphacio confectum malum
 hoc sine morfu & periculo curare Author est. Vid.
 quoque *Melch. Seb. spec. M. Pract. p. 2. f. 5. c. 38. p. 647.*
Frid. Hoffm. M. M. l. 1. c. 19.

Th. LXI.

At si remediis pharmaceuticis actum agas , ad
 ferrum deveniendum est, chirurgorumque artificiosam
 punctiõnem , quæ ut secundum artis præcepta dextrè
 instituatur, tria potissimum veniunt observanda, Nimi-
 rum , quid I. ante operationem II. in ipsa operatione.
 III. post operationem sit agendum.

Th. LXII.

Ante operationem primo omnium consultum
 est, ut Chirurgus eligatur exercitatissimus. Hic enim
 aliis quoque non cogitantibus si plenitudo totius ad-
 sit, de vena tundenda erit sollicitus , perinde ducens, u-
 trum frontis , an temporum an verò cubitus venam pa-
 tiens sibi malit aperiri , cauterium quoque vel fonticu-
 lum cervici inuret, dubiumque ejus , ante extremam
 compunctiõnem, eventum expectabit.

Th. LXIII.

In ipsa operatione prospiciendum ut æger liber sit
 ab omnibus gravioribus animi pathematibus, sympto-
 matibusque oculo molestis , uti sunt capitis dolor, tuf-
 sis, nausea vomitus. Dies eligatur serenus vernus vel
 autumnalis horis à plenitunio 40. vel 60! His probè
 obser-

observatis, Chirurgus praesente Medico locum concla-
vis mediocri perfusum lumine eligens, ægrum in an-
gusto sedili collocabit. Tum obligato oculorum al-
tero, suffuso quietem imperabit, atque in paulum altio-
ri loco seu scabello constitutus, manus patientis ad cru-
ra demissas, unâ cum cruribus, genibus suis amplexas
continebit.

Th. LXIV.

De hinc ministro cuidam curâ capitis tenendi se-
dulo commissâ, ipsemet ferream, chalybeamve, acutif-
simo mucrone, latiorique latere instructam acum, agili
pollice, per densus pannum usque dum incaluerit plu-
ries autorsum retrorsumque agitatum, animo muni-
tus constanti & intrepido, recta per ad natam tunicam,
medio inter minorem canthum & corneam loco, è re-
gione mediæ cataractæ solerti manu adiget, usque
dum ad ipsum suffusionis Centrum se sentit perve-
nisse.

Th. LXV.

Quo ubi ventum est, non confodiendo sed sub-
mergendo infra pupillæ regionem hunc oculi, suum-
que ulciscetur Inimicum; telum haud citius retrahens,
quam sufficiens temporis intervallo, hostem suum ita
esse submersum, ut nulla ipsi ad resurgendum spes su-
persit, certo sit factius certior: tum enim salutarem
hanc, victricemque retrahet lanceam, ægrumque vin-
culis genuum, manuumque ministri solutum, libertati
restituet.

Th. LXVI.

Sed non plenaviæ: Resupinus etenim illi decu-
bitus, ab Artifice, ea, quæ post operationem sibi agenda
superfunt ruminante imperabitur, novendinusque
propri-

propriarum ædium carcer , quo pedem ante præscri-
ptum tempus efferre non audebit. Uterque tandem
& Medicus & Chirurgus inflammationem arcentia re-
media quærent, habentes, quo Deo, Summo & Opt.
Max. miseriarum nostrarum Archiatro , pro labore se-
cundis auspiciis salutariter exantlato , gratias agant im-
mortales. Cui à nobis etiam pro feliciter absoluto
academico hoc specimine, jugi & devoto cultu, æternæ
perfolventur Grates, Laus, Honor & Gloria in seculum
seculi.



Corollaria.

1.

Aqueus humor partis nomine non vi-
detur dignus.

2.

Humor Vitreus & Crystallinus inter
partes viventes reponi possunt.

3.

Crystallinus est Primarium visus Orga-
num.

4.

Oculi sunt Animæ fenestræ.

Cata-



5.

Cataracta Vi Imaginationis foetui in u-
tero communicari potest.

6.

Aquæ Vitæ usus in suffusione non tu-
tus.

7.

Partes oculi rectè dividuntur in ambi-
entes, constituentes & deferentes.


8.

Oculi aqueæ potius sunt naturæ, quam
igneæ.

F I N I S.







Strassburg, Med. Diss., 17. Nagel-
Mische

ULB Halle

3


006 609 058




Med A

V 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches

Centimetres

MEDICA
ALIS.

10

IONE,

DIVINO,

Authoritate

ccellentissimi

tissimi

MEDICI

SIMA STUDIORUM
ENTORATENSI

onoribus & Privilegiis
ALIBUS

endis

Examini submittit

S NIEMAND

ofurtenfis.

is, h. l. consuetis.



ORATI,

ERICI SPOOR.

LXXVI.

